

Seq B/VER

(e)

lin/ht

qY

f35

61

(X)

FIRST EDITION 8vo. pp. (4), 30, (2), CHSp copy bound in original gilt panelled red watered silk, gilt edges

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

BALNEIS

MEDICATIS ARTIFICIALIBUS.

AUCTORE

GEORGIO VERZÁR,

MEDICINAE DOCTORE.



VIENNAE, 1844.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Bedenke immer, wer du bist, und was du sollst. Du bist von Gott gesetzt zum Priester der heiligen Flamme des Lebens und zum Verwalter und Ausspender seiner höchsten Gaben, Gesundheit und Leben, und der geheimen Kräfte, die Er in die Natur gelegt hat zum Wohle der Menschheit.

Ein hohes heiliges Geschäft! Verwalte es rein nicht zu deinem Vortheil, noch zu deinem Ruhme, sondern zur Ehre Gottes und zum Heil deines Nächsten. Dereinst wirst du Rechenschaft davon geben müssen.

Hufeland.

MAGNIFICO DOMINO

ALEXANDRO RAPHAEL

EQUITI ANGLICO

NEO ERECTI IN MAGNO TRANSILVANIAE PRINCIPATU LIBERA REGIAQUE CIVITATE ELISABETHOPOLI GYMNASII SIC DICTI RAPHAELINI UT ET SCHOLAE IBIDEM PUELLARIS FUNDATORI MUNIFICENTISSIMO, ECCLESIARUM IN PRAEFATA NEC NON ALIA AEQUE LIBERA REGIAQUE CIVITATE SZAMOSUJVÁR ROMANO CATHOLICARUM CURATORI HONORARIO AC DENIQUE TALI LIBERAE REGIAEQUE CIVITATIS ELISABETHOPOLIS ET SZAMOSUJVÁR SENATORI MERITISSIMO ETC.

VIRO

MAGNANIMITATE,

BENEVOLENTIA ATQUE HUMANITATE

NEC NON

LIBERALITATE INSIGNI

EXIGUOS HOS

LABORIS FRUCTUS

IN

SIGNUM GRATITUDINIS

NULLO UNQUAM TEMPORE EXHALATURAE

SACROS ESSE VULT

devinctissimus
Auctor.

Magnifice Vir!

Conaminibus meis dextro cum successu coronatis et de Benignitate **Tua** et singulari erga me indulgentia persuasus, ausus sum nomine **Tuo** celebrare primitias litterarum mearum, simul cupidine tractus summam meam in Te Magnifice Vir venerationem, quam longo a tempore colui palam fatendi.

Digneris sueta **Tua** clementia et favore accipere Magnifice Vir! has pagellas tan-

quam signum reverentiae ac observantiae maximae, quas sentire magis quam eloqui possum.

Hoc deinde erit pulcherrima studiorum meorum corona, si gratum agnosces animum

devinctissimi
Auctoris.

Procemium.

Pauca sunt, quae fronti hujus tractatus a figenda puto. Inauguralis est, prima viri in vitam practicam intrantis conamina continet. Experientia propria non gaudens auctoritatem regnantem pedisequi coactus, non alia nisi quae nota, ut imitator et descriptor hanc dissertationem de Balneis Medicatis Artificialibus publicae peritorum disquisitioni submitto.

Quare benevole Lector! si hasce conatuum meorum primitias Te placidis arri-

pere ulnis animadvertero, ex animo gaudebo; Censoris autem austerioris vices agenti illud **Horatii** liberaliter offeram:

. . . . Siquid novisti rectius istis
Candidus imperti, si non, his utere mecum!

Auctor.

Generalia de Balneis Medicatis.

D e f i n i t i o.

Sub balneo medicato intelligimus, medicaminis in aqua soluti ea ratione per cutim adplicationem, ut vel totum aegri corpus vel pars tantum quaedam fluido per aliquot temporis spatium exponatur. Hinc balneum vel universale vel topicum audit; pro diversitate autem partis fluido expositae diversa acquirunt iterum nomina, uti Semicupii, si inferior media corporis pars balneo immergitur, vel prout autem tantum pedes, aut manus tali medicaminum adplicationi exponimus, balneum modo pediluvii, manicupii nomine comprehendimus, quibus posterioribus tamen ommissis, hic potius balnea medicata universalia tractanda restant.

D i v i s i o.

Secundum diversum temperaturae gradum balnea discedunt in tepida, quae a temperatura organismi normali non multum nec in plus nec in minus differunt, ita ut a 26° — 32° Reaumur variant; et in frigida, quae multo inferiorem animali calore gradum tenent, ita ut sub ap-

plicatione detractio naturalis caloris ab aegro sentiatur, balnea ergo a 14° — 20° Reaumur.

Dividuntur vero balnea praeterea quoad principalem et ultimum in organismum effectum in classes duas:

I. Balnea vitam vegetativam adeuntia, huc pertinent:

a) Vegetationem deprimentia (Solventia).

b) Vegetationem promoventia (Roborantia — Nutrientia).

II. Balnea vitam sensitivam praecipue adeuntia, huc pertinent:

c) Vitam nerveam excitantia (Stimulantia — Aromatica).

d) Vitam nerveam sedantia (Narcotica).

Actio Balneorum.

Balnea in genere cutim purgando transpirationem per pororum reclusionem adaugent, processus morbosos ibi vigentes immutare, atque ideo immediatim in atrio suo applicationis qualitativas a norma aberrationes corrigere valent. Nec praetervidenda actio balneorum in cutem, quae aequilibrium Imponderabilium — caloris et electricitatis — in- et extra organismum restituitur, quum qua optimi illorum conductores (uti omnia fluida) sub inaequali Imponderabilium distributione, etsi non visibiles, certe tamen efficaces mutationes in organismo, imo secundum leges physicas producant necesse sit. Ex eo actionem balneorum in plurimis morbis sine materia, qui haud raro ab ejusmodi caloris et electricitatis intemperantia dependent, explicare valemus.

Haec hucusque exposita balneorum actio primaria consideranda, quam secundaria insequitur. Particulae scilicet medicatae per systema lymphaticum corii resorbtae conflictum vivum, tam cum parietibus coercentibus, quam cum lympha ipsa ineunt; moderando ambarum qualitates pro parte suum characterem per assimilationem ammittunt, pro parte vero non ex integro subactae usque ad systema sanguiferum vectae stimulo suo peregrino hic similem, uti in systemate lymphatico, effectum exerunt, crasin sanguinis, actionemque parietum vasorum in illum modificant; — magna ergo eorum actio in haematopoesin et circulationem. — Ex mutatione plasticitatis sanguinis et ex actione in ultimos vasorum fines magna quoque vis balneorum in se- et excretiones declaratur, quos a statu normali decedentes antagonistico simul modo per cutis functionem inversam corrigere possunt. Per sanguinem in suis particulis constituentibus mutatum suos effectus usque ad nutritionem organorum extendunt. In systema quoque nervorum periphericum, gangliare agunt, et propter oppositionem systema inferius inter et superius simul cerebrum et medulla spinalis influxus eorum patiuntur.

Si mutationes sanguinis et systematis nervosi, quae balneis ponuntur, non praetervidemus, sponte elucebit, balnea non sine gravi momento systema irritabile transgredi.

Differentia inter actionem medicaminis per balneum et ejus per os adhibiti.

1. Balneum cutim, ejusdemque vasa capillaria et ultimos nervorum ramos primarie afficit, ideo praecipue

functiones cutaneas adgreditur; medicamen ore susceptum tantum processus internos vitales invertendo vim suam in cutim exerit.

2. Balnea in systema lymphaticum periphericum organismi celeriter agunt, atque mox ibi mutationes inducunt, quas remedia interne assumta post longius tantum tempus secundarie efficere possunt.

3. Balnea fere ex integro immutata primae digestionis organa relinquunt; dum e contra remedia forinsecus suscepta per illam sibi viam agendi recludunt.

4. Inversa est ratio inter actionem primariam et secundariam balnei et interne assumti medicamenti, ita ut actio primaria balnei qua secundaria tantum alterius prodit, et vice versa.

5. Ope balnei majorem medicaminis heroici dosim organismo ingerere possumus, quin tam solicite effectum in digestionem nocentem timeamus, quam sub interna remediorum applicatione.

6. Dosis medicamenti in balneis manet plus incerta, et nullum possidemus criterium saturationis, quia resorbtio particularem agentium a plurimis non designandis circumstantiis dependet.

Ex supra dictis patent

Indicationes

quibus balnea sufficiunt

1. In omni casu, ubi immediatim in systema cutaneum agere cupimus, ut excedens cutis secretio moderetur, aut parca vel plane suppressa incitetur vel revocetur, aut ut peculiaris cutis aberrationes qualitativae ad nor-

mam reducantur; nec sine bono effectu adhibentur balnea, si morbus ab organo nobili ad cutim est derivandus.

2. In morbis praecipue systematis lymphatici ipsius, et producti contenti, qualitative aberrantis lymphae aut nimis tenuis aut tenacis, in concrementis illius, in laxitate, atonia, spastica contractione, nec non induratione parietum vasorum lymphaticorum.

3. In casu, ubi digestio vel morbo quodam vel per longiorem medicaminum usum ita languet, ut non tantum a remedio interne assumto nil sperandum, sed etiam saburra medicamentosa sit timenda; aut ubi actio medicaminis corrodens membranarum tubi alimentaris inflammationem vel erosionem subsequentem facile ponit, et nos tamen ab usu medicaminis abstinere nolumus.

4. Contribuunt suam partem ad remediorum interne assumtorum actionem adjuvandam.

5. Si aeger medicamentum quidem interne assumere potest, sed non vult, uti saepissime apud infantes observandnm, ad usum illorum recurrimus.

6. Adhibenda sunt in omni casu, ubi interna medicaminum assumtio est impossibilis uti, ore per trismum firmiter clauso, in convulsionibus, tetano, epilepsia, eclampsia, conscientia abolita, apoplexia, asphyxia, syncope, tumoribus faucium et colli, ulceribns et scyrrho pharyngis, abscessu etc.

Contraindicationem balneorum in omni inflammatione propter possibilem refrigerationem et in summo debilitatis gradu invenies.

De balneis speciatim.

I. Balnea solventia.

Prouti magis in systema lymphaticum vel in systema haematopoeticum suam exerunt vim vel *solventia lymphatica* vel haematica audiunt, prioribus balnea sulfurea et Kalina, posterioribus balnea mercurialia adnumeranda veniunt.

A. *Balnea sulfurea.*

Vi sua solvente simul ac stimulante majorem causant adfluxum humorum versus cutim, se- et excretionem cutaneam adaugent, vasis lymphaticis recepta stagnantem ibi lympham tenacem solvunt, actionem vasorum in productum fluidisatum liberiorem faciunt; ad systema sanguiferum perventa ibi quoque ulteriorem sanguinis evolutionem impediendo cruoris et materiae fibrinae quantitatem minuunt, atque peculiarem serius cachexiam mercuriali similem inducunt. Elementis ergo nutritionis universalis suppressis tota materiei organicae regeneratio plus languebit, et debilitans effectus in totam vegetationem et ex productione retenta in totam irritabilitatem extenditur. Praecipue quoque in systema venae portarum agunt stagnationes solvendo ac influxum parietum in contentum liberando. Ultimo denique nervis amica ob Kali, quod continent, sensibilitatem systematis gangliaris in nervis periphericis extollunt, sed incitatam serius quoque deprimunt. Vis ergo ultima balneorum sulfureorum omni ratione debilitans.

Conveniunt ipsis constitutio aegri laxa, lymphatica, torpida; prout iterum affectiones inflammatoriae, congestiones versus organa nobiliora parenchymatosa, haemophthisis, peculiaris cutis sensilitas, scyrrhositates usum illorum vetant.

Morbi, in quibus praecipue adhibentur, sunt Cacodermata, inter quae Scabies primum invenit locum; magnis quoque extolluntur laudibus vires eorum in herpete, lichene, tinea, illa, quae stagnationibus in systemate lymphatico suam debent originem. In scrophula torpida, in glandulis lymphaticis ac meseraicis obstructis, in atrophia meseraica, in obstructionibus hepatis et lienis, in tuberculosi, si indicia inflammationis absint, bono cum eventu praescribuntur. In membranas serosas et mucosas agendo commendantur in posthumis inflammationum, quae exsudato plastico terminantur, uti in angina membranacea, bronchitide, pleuritide, peritonaeitide saepissime contingit. Solvendo et secretionem serosam promovendo in Rheumatismo inveterato, arthralgia chronica, in ischialgia remedium nec ullum aliud superius praebent. Propter influxum in systema venae portarum optime conveniunt in tumoribus haemorrhoidalibus, excepto illorum statu inflammatorio. In intoxicatione cum hydrargyro, subsequente cachexia mercuriali, phtyalismo, in doloribus osteocopis, qui praecipue toxicationem plumbeam insequuntur, et similibus sequelis chronicis, uti tremoribus, paralysi etc. utilitas illorum experientia comprobatur.

Pro balneis sulfureis aut sulfuretum lixiviae aut calcis adhibetur; dosis eorum pro adulto ad unum balneum est uncia una — unc. duas; pro infante anni unius drachmae duae sufficiunt.

Praescribitur sequenti sub formula: Rp. Sulfuret. lixivae unc. unam — duas. detur ad vitrum bene clausum, exhibeantur tales doses Nr. VI. Sig. Domi quotidie dosis una effundatur in balneum 800 librarum, temperaturae 28 — 30° Reaumur, et illico agitetur cum spatula lignea per aliquot minuta.

Nonnunquam requiritur, ut ad evolvendum gas hydrothionicum, dum aeger in balneo versatur, quaedam aceti vini cochlearia admisceantur. Maneat vero aeger in tali balneo a quadrante horae ad horam usque.

Dosis et forma sulfureti calcis eodem pro balneo, aut praescribitur liquor hydrosulfureticus pro balneo, et quidem pro adulto librae 12 uno balneo admiscentur.

Aeger e balneo egressus, modice siccatus lectum petat, ut larga sequens transpiratio cutanea sanationem promoveat.

B. *Balnea kalina.*

Actio eorum in cutem est solvens; transmutationem materiae organicae accelerant; productum in vasis lymphaticis abnormiter adcumulatum et induratum emolescunt, parietes vasorum rigidiores functioni suae plus idoneas reddunt, atque statum normalem reducunt. In systema quoque membranarum formantium solvendo agunt, resorbtionem promovent, uti se-et excretiones, inter quas praecipue sibi se-et excretionem cutaneam atque urinarum seligunt. Haematopoesin opprimunt, plasticitatem et regenerationem nobiliorum partium sanguinis impediendo, et hac ex parte omnes reliquas functiones a sanguine dependentes mutatas reddunt; processus nutritionis lan-

guet, vis irritabilis fibrarum muscularium imminuitur, atque laxitas et emollities universalis inducitur. Nervis vero amica periphericos fines systematis gangliaris peculiari stimulo blando adgrediuntur, et per antogonismum sensibilitatem systematis medullaris et cerebralis invertunt, spasmos et contractiones solvunt.

Propter vim vehementer solventem ipsis omne organicum stagnans, induratum, rigidum et constitutio lymphatica non tantum torpida sed etiam erethistica convenit ob indifferentiam illorum in systema vasorum et blandum pro nervis stimulum; major autem gradus colliquationis vetat illorum usum.

Adhibentur in posthumis inflammationum, Pleurae, Peritonaei, Bronchiorum insecutis, optime autem conducunt in viscerum abdominalium indurationibus et obstructionibus hepatis, lienis, glandularum meseraicarum, in scyrrho ventriculi, ictero, scrofulis, atque impetiginibus illas concomitantibus, uti achore, tinea etc., in ulceribus impuris cutaneis, scabie, in calculis felleis et urinalibus, degenerationibus membranae mucosae genitalium atque stricturis. Nodi arthritici et contracturae dolorificae, quae chemica sua compositione maximam similitudinem cum calculis urinalibus agnoscunt, saepe in balneis kalinis suam inveniunt medelam.

Pruritum cutis in individuis arthriticis his balneis cedentem multi observarunt, ob egregiam actionem in systema nervosum usus illorum laude summa dignus commendandus in spasticis affectionibus tum tonicis, tum clonicis, uti: in tetano universali et partiali, eclampsio, ballismo etc. Kalina balnea adhibentur etiam localia. Pedi-

luvia praecipue in congestionibus versus encephalon ad humorum derivationem, in vertigine, cordiopalmo, in chlorosi et in transpiratione extremitatum inferiorum suppressa.

Pro balneis kalinis vel kali purum vel carbonicum vel sapo seligitur, dosis kali puri est unc. una — unc. duas pro balneo universali, kali carbonici unc. quatuor — unc. sex, saponis unc. tres — unc. sex.

Praescribuntur sequenti modo: Rp. Kali puri unc. unam solve in Aquae dest. unc. tribus, det. ad vitrum bene clausum. Sig. Immediatim ante usum effundatur in balneum 28° Reaum. et bene commisceatur.

Saponis domestici rasi unciae tres domi in mensura media aquae solvantur ebullitione, et solutio balneo 28° R. admisceatur. Reliqua pars fluidi in balneis kalinis semper sit aqua pluviatilis.

Aeger maneat per quadrantem horae usque ad horam in balneo; quotidie unum balneum, imo nonnunquam praecipue saponacea mane et vespere adhibenda.

C. *Balneum haematicum mercuriale.*

Mercurius sublimatus corrosivus uti priora characterem qualitativum cutis aberrantem ad normam reducere valet, et in omne systema dermaticum, imo membranas mucosas, serosas et fibrosas agit. In systema lymphaticum receptus vim maxime solventem, tam in contentum, quam in vasa continentia exercet, et peculiarem metamorphosin lymphae inducit. Systemati haematopoetico traditus, plasticitatis et coagulabilitatis sanguinis inimicus ejus evolutionem impedit, et

imperfectam tantum lymphae elaborationem permittit; cruor et materia fibrina deficit. Per assimilationem non devictus totam materiae organicae restaurationem, nutritionem et omnes se- et excretiones ita dominatur, ut in omnibus cohaesio imminuta et plasticitas minor in conspectum veniat. Inter se-et excretiones praecipue illam urinarum intendit, diutius adhibitus quoque secretionem salivae. Balnea talia, per aliquot tempus in usum tracta, causant febrim mercurialem, qua indicium vitae contra potentem impressionem inimicam renitentis, serius totam cachexiam mercurialem, nam partes organicae nimiopere resulvuntur, qua ratione partes resolutae halitu foetente, gingivis tumidis et dolentibus, glandulis salivalibus irritatis atque magnam salivae foetidae quantitatem fundentibus, inflammatione faucium, deglutitione dolorifica, cum ulceribus impuris, callosis, cupreo margine cinctis, similibus syphiliticis, cum dentibus vacillantibus, lingua tumida sanguinem plorante, tussi sicca dolente, saepe cruenta; oculi in orbita retrahuntur et annulo caeruleo circumdantur, adspectus languet, color faciei squalidus, labia pendula caerulescunt, debilitas universalis, pulsuum parvorum numerus augetur etc. Balnea mercurialia ab initio systema sanguiferum incitare videntur, sed vis illorum summe debilitans tantum absconditur, et effectus deleteriores patebunt. Mercurius corrosivus malefico quodam principio systema nervosum adgreditur, quum sub diuturniori usu paralysin partialem, uti Amaurosin aut extremitatum ponat, quin mutationes materiales animadvertantur. Convenit praecipue constitutioni forti sine magna systematis vasorum irritatione, plethora, orgasmus et con-

gestio sanguinis ad nobiliora organa, dispositio ad haemophthisin, tempus menstruationis et aetas tenera plane illa vetant. Adhibentur tantum in illis morbis, in quibus peculiaris character totius organisationis plane exstingui, et nova materia organica regenerari oportet, uti in Syphilide secundaria, inveterata, pertinaci eo magis, si ejus focus systema dermaticum externum sistit, ergo in ulceribus cutis magnis, impuris phagadaenicis, in rhagadibus, impetiginibus pertinacissimis uti: Ictiosi, morbo leproso et in aliis anomaliis inveteratis cutis; aut si in systemate osseo suum invenit substratum, uti in carie ossium et fistulis inde perstantibus, doloribus osteocopis, atque exostosibus.

Dosis mercurii sublimati corrosivi pro uno balneo tepido 28 — 32° Reaum. est drachma una — duas, praescribitur sequenti sub formula: Rp. Mercurii sublimati corros. drachmam solve in Aquae dest. com. unciis decem. D. S. Commisceatur balneo.

Maneat aeger ne ultra quadrantem horae in balneo, et dein linteis tepidis siccatus lectum prius calefactum petat.

II. Balnea roborantia.

Ex roborantium remediorum numero ad balnea artificialia conficienda seliguntur ea, quae remedia adstringentia et haematica audiunt; hinc et balnea roborantia subdividuntur in 1.) balnea adstringentia et 2.) haematica.

A. *Balnea adstringentia.*

Adhibita cutis contractionem augent, secretionem cutaneam modum excedentem imminuunt, vasorum capillarium periphericorum diametrum coarctando tonum ipsorum evehunt. Particulae agentes vasis lymphaticis receptae, difficilius tantum ac per longiorem moram quodammodo assimilatae, processum coagulationis accelerant, evolutionem albuminis et gelatinae in lympha, cruoris et materiae fibrinae in sanguine impellunt, robur parietum in vasis lymphaticis et sanguineis adaugent, promotionem humorum rapidiorem, atque pulsus celeriores, fortiores nec non duriores reddunt. — Per mutationem sanguinis mediatim in totam nutritionem agunt, fibram laxam firmando, et omnibus organis majorem contractionis uti cohaesionis gradum impertiendo. Quum medicamenta resorbta partim sanguinem ipsum modificent, partim non ex integro subacta praesentia sint, omnes quoque se - et excretiones (praecipue cutis) ita coercent, ut illarum producta quoad quantitatem imminuta, sed magis plastica evadant. Agendo in reproductionem totius organismi musculorum quoque robur intendunt, atque illorum actionem firmiorem constantioremque reddunt; systema nervosum sine manifestis vestigiis transgrediuntur.

Conveniunt talia balnea omni statui reproductionis depressae cum laxitate organisationis et debili actione inconstante musculorum. Magnum vero respectum sub illorum usu secretiones omnes merentur, quarum parcitas abnormis uti quilibet status inflammatorius, congestiones nobiliora versus organa, indurationes, hepatisationes et

scyrrhositates viscerum qua contra indicantia sunt habenda.

Morbi, in quibus praecipue adhibentur sunt cachexiae, uti scrofulae et rachitis, sed tunc tantum si materiae stagnantes in glandulis ac vasis lymphaticis methodo solvente fluidiores reddebantur, ut systemati toti vasorum majorem tonum impertiamur, ac rapidiorem humorum propulsionem nec non majorem sanguinis in evolutione retenti elaborationem conemur.

Plerumque ergo talia balnea adstringentia cum reliquis roborantibus in connubio cum aromaticis curam scrofularum claudunt, et non raro mollitiem ossium rachiticam infantum medentur. Indicantur simul in laxitate organorum, uti textus cellulosi post hydropem; in proclivitate organorum parenchimatosorum, in haemorrhagias, ex majori debilitatis ac laxitatis gradu, uti in metrorrhagiis atonicis ex uteri debilitate, et insequente proclivitate ad abortum et sterilitate, in profluiviis cruentis ex vasis haemorrhoidalibus, praecipue si tam large oriuntur, ut vitae periculum inferant. Sudores profusi, viscidi, debilitantes ex laxitate cutis aut passivis congestionibus orti, uti in reconvalescentia post febres praecipue nervosas observandum, his remediis saepe sanantur. Non praetervidendus est illorum benignus influxus in Atrophia nervosa post profusas seminis jacturas et sequente inde impotentia virili, inertiaque musculari partium genitalium, atque in pollutionibus involuntariis.

Profluvia chronica mucosa, dissenteria, medorrhaea chronica etc. solvuntur his balneis, quae laxitatem membranae mucosae tollunt, in morbis organicis, luxationi-

bus tam musculorum quam articulationum, herniis, prolapsibus uteri, vaginae et ani jam repositis ad retinendas illas partes et novum illarum prolapsum impediendum addendo tonum optime inserviunt.

Ab initio talia balnea adhibentur tepida temperaturae 28° R., quorum temperatura ut adhuc fortiorem exerceant effectum, sensim sensimque minuenda, donec ad 16° — 14° R. descendat, sub qua balnea maximam stringentem et roborantem actionem praebent. Ad talem scopum seliguntur cortices quercus, folia salviae, cortices salicis et chinae.

Dosi varia in variis enumeratis remediis praescribuntur sequentibus formulis. Rp. Cort. Quercus rud. tus. lib. semis. Coque per horam cum Aquae fontanae libris tribus Colatura detur. S. Balneo admiscenda.

Rp. Foliorum salviae conscis. unc. quat. — sex infunde per 1/4 hor. v. c. cum aquae font. fervid. libris tribus, Colatura detur. S. Uni balneo pro adulto addenda.

Rp. Cort. Salicis conscis. libram unam — duas. coque per 1/2 hor. cum Aquae font. lib. decem. Colatura detur.

Balnea adstringentia saepissime adhibentur localia in topicis adfectionibus, in ulceribus putridis, sphacelo etc., in quibus uncia semis remedii cujusdam pro libra una decocti adhibetur.

B. *Balnea haematica.*

1. Balnea acidum continentia.

Actio balneorum haematicorum in atrio suo applicationis similis est illi adstringentium; haec quoque secretionem cutaneam nimiam moderant, plasticitatem lymphae

adaugent, tonum parietum vasorum intendunt, expansioni nimiae atque nisui in dissolutionem, quo sanguis in sua discedere conatur elementa, renituntur. Calor animalis per illa deprimitur, pulsus arteriarum parvi sed duriores et tardiores redduntur. Actione sua venositatem sanguinis reprimunt et modo tantum passive arteriositatem promovent, quia nequaquam plasticitatem et evolutionem sanguinis ad nobilissima sua elementa extollunt, imo potius impediunt, quum sanguis, particulis constituentibus non ita evolutis, jam coaguletur; hinc sub diuturniori illorum usu serius insequitur languor, sed ob intensam coagulationem sanguinis non tempus se resolvendi conceditur.

Idem phaenomenon conspicuum fit in omni nutritione, quae quidem sat celeris est, sed non ad summum usque gradum evolutam materiam organicam regenerat. Mutando vitalitatem vasorum capillarium mutant simul omnes se- et excretiones, quas quantitate imminuunt.

His ex dictis demonstratur quoque illorum influxus in systema musculare seu irritabile, cui robur et constantiam agendi conciliant, sed tantum illis in casibus, in quibus debilitas praesens ex nutritione et maximo humorum nisu in revolutionem ortum suum duxit; e contra vero tantum vim debilitantem ostendunt, quum perfectam materierum evolutionem ac nutritionem impediant, et coagulationem partium non satis evolutarum in sanguine intendant. Systematis nervosi peripherici erethismum partim per peculiare principium volatile, partim per actionem in systema sanguineum componunt.

Focus illorum est resolutio materiae organicae cum nimia praecipitaque humorum excretione, organorum la-

xitate nec non profluviis debilitantibus. — Scorbutus in omnibus suis formis optimum horum balneorum effectum agnoscit, profluvia cruenta scorbutica et osteomalacia corriguntur. Adhibentur bono cum effectu contra sudores debilitantes, contra profluvia mucosa pertinacia, contra haemorrhagias atonicas cum laxitate parenchimatis et varicositatibus.

Pro talibus balneis sumuntur Acetum, Chlorina, Acidum nitricum, sed etiam Alumen, quae remedia balneo temperaturae 26 — 28° Reaum. admiscentur. Ad balneum universale librae sex — octo aceti praescribuntur, ad pediluvium librae duae sufficiunt, et pediluvium tepide adhibendum est.

De chlorina uti de acido nitrico pro balneo unciae quatuor — sex, — pro pediluvio uncia una — duae praescribuntur, de Alumine autem pro balneo unciae tres — quatuor.

2. Balnea martialia.

Ferrum, si ad usum balneorum adhibetur, semper in forma salium sit, necesse est; inter quae duo in usum trahuntur; tartras ferri et lixivae (globuli martiales) et sulfas ferri, seu vitriolum viride, quorum prius vim mitiorem, tonico, solventem, posterius tonicam in summo gradu simul adstringentem exercet, quamvis praeparata martialia in generali actione plus minusve congruant. Ferrum cuti sub forma balnei adplicitum, laxitatem illius tollit, tonum restituit atque secretiones cutaneas modum excedentes coercet; systemate lymphatico resorbtum simul vasis lymphaticis majus robur addit, simul evolu-

tionem materiae contentae intendit; formationem substantiarum plasticarum albuminis et gelatinae ibi promovet, nisumque in coagulationem auget. Ferrum dein quidquam per assimilationem in systemate lymphatico mutatum systemati sanguineo advehitur, in quo cruoris et materiae fibrinae evolutionem promovet, plasticitatem sanguinis intendit, nimiamque sanguinis expansionem moderat. Sanguis tali modo vehementiori stimulo in vasa agit, conflictus vitalis vasa inter et sanguinem evadit fortior, quod pulsus fortes, duriores, accelerati probant. Nutritio haematopoesi perfectiori reddita, procedens firmitate et robore organorum partium externarum rubore adaucto, turgore et calore vitali intensiori sensibus se prodit. Tonum vasorum capillarium et plasticitatem sanguinis augendo, omnes se-et excretiones modificat; partibus plasticis egentes spissiores, et modum quantitatis excedentes parciores reddit; e contra fluxus humorum naturales, qui vel ex atonia, vel universali debilitate sine corporis detrimento non amplius persistere possunt, et qui tamen cum statu sano organismi sunt inseparabiles, vi sua restituere valet. Nutritione musculorum intensa irritabilitas robur lucratur, et usum balneorum martialium rite adhibitorum actiones musculorum fortiores et constantiores insequuntur. In systema nervosum balnea martialia immediatim parum agere videntur; et tantum vegetatione adaucta nimium systematis nervosi erethismum componunt.

Morbi, in quibus balnea cum ferro adhibentur, sub nomine universali debilitatis reproductivae, erethisticae et torpidae complectuntur, praecipue, si fons eorum sit in plasticitate laticis cruenti depressa, aut in humorum

nobilium jactura, uti sanguinis, lactis, seminis, aut in evolutione per cachexias retenta. — Maximis extollitur laudibus usus horum balneorum in scrofulis et rachitide cum laxitate totius systematis lymphatici, in cachexia hydropica ex atonia vasorum capillarium, in chlorosi cum profluvio mucoso vaginae et hydrope timendo; in omnibus morbis genitalium ex atonia, laxitate, in menstruis profusis, dolorificis, irregularibus, vel parcis aut plane ex debilitate uteri aut totius organismi silentibus, insequente inde sterilitate, proclivitate ad abortum, in degenerationibus variis membranae mucosae genitalium, in galactorrhaea cum insigni virium lapsu optimos exercent effectus. Talia balnea in jactura seminis imprudenti vel per masturpationem vel coitum frequentiorem, insequentibus pollutionibus involuntariis, impotentia virili, inertia musculorum genitalium aut paralysi nonnunquam etiam vesicae urinalis (Stranguria, Ischuria paralytica) in tabe dorsali egregia praebent remedia.

In profluviis aliis, uti blenorrhoicis chronicis partium genitalium, haemorrhoidibus albis, blenorrhaea vesicae, in ephidrosi ex debilitate et laxitate cutis atque atonia vasorum capillarium famae quoque sunt digna. Commendantur in morbis nervosis, vertigine ex debilitate, cardialgia ex totius tubi alimentaris inertia et digestione labefactata, in hypochondria, hysteria, melancholia, in paralysibus post intoxicationem plumbeam aut mercurialem.

Temperatura balnei ab initio sit tepidior ad 28° R., gradatim dein usque ad 16 — 14° R. imminuitur, ut balneum majorem vim roborantem possideat. — Quotidie

unum adplicetur balneum, rarissime una die repetendum; aeger maneat in balneo a $^1/_4$ horae ad horam usque.

Dosis pro balneo adulti sulfatis ferri et globulorum martialium uncia una usque uncias tres sunt, pro infante drachmae duae — quatuor praescribuntur. Adhibentur saepissime in connubio cum balneis aromaticis; sed nunquam miscenda sunt cum adstringentibus, colorem tetrum quem praebet, nemo enim aegrorum amabit, corpus atramento immergere, et non multum boni ab hoc connubio sperandum.

Balneis roborantibus quodam jure adnumeranda sunt balnea nutrientia, quae non tam stricte ad balnea medicata pertinent, et huc breviter tantum tractantur. In sua actione eo a praecedentibus differunt, quod magis quantitative agentia processum vitalem intendant, dum particulae plasticae reproductioni traduntur, et massam materiae organicae augent, quin simul processum assimilationis languentem erigere, debilem alacriorem reddere valeant; hinc sequitur, quod massa organica majori copia emergat, sed viribus assimilantibus prostratis non ad summum evolutionis gradum elevetur; albumen et gelatina ibique praevalebunt, sanguinis perfecta elaboratio ad cruorem et materiam fibrinam usque non pervenit, quia particulae ex balneis resorbtae quidem substratum evolutionis offerunt, sed omni stimulo expertes conflictum vasa inter et contenta non augent. Nutritio evadit alacrior, sed minus perfecta; organa mole augentur, sed laxa sunt et difficilius potentiis nocentibus resistunt; se- et excretiones copiosiores evadunt, characterem autem imperfectae evolutionis ostendunt. Systema irritabile uti nervosum in-

tacta relinquunt, si mutationem ex vegetatione provenientem excipias. Conjunguntur libenter cum aromaticis.

Praecipue indicantur in illis morbis, qui cum penuria materiae organicae incedunt, et si assimilatio pro parte saltem constat; dein in illis casibus, in quibus interna assumtio nutrientium per longius temporis spatium non conceditur, aut functio tubi alimentaris debilis et labefactata nutrimenta cruda relinquit. Primum locum occupant Atrophiae illae, quae jactura humorum inquilinorum ponuntur, uti sanguinis, spermatis, lactis etc. In reconvalescentia post graves exantlatas febres, auxilia magni momenti sunt, quia resorbtionis cutaneae ope efficaciores particulae ex illis hauriuntur, et organismus non particulis crudioribus gravatur. — Usus illorum frequentior apud infantes, atrophia meseraica aut alia laborantes; vel in scrofulis, si processus assimilationis jam perfectior redditus est, et nutritio inops ibique adparet. Topice adhibentur si pars quaedam atrophica evadit. Ad balnea nutrientia numerantur balnea lactea, glutinosa, furfuracea et balnea sic dicta animalia. Balnea lactea rarius in usum trahuntur, et tantum in praxi infantum aut in topicis adfectionibus suam inveniunt adplicationem, Balnea glutinosa parantur, si unciae quatuor glutinis animalis in libris decem aquae communis frigidae per sex horas macerantur, dein ebullitione perfecte solvuntur, et solutio balneo temperaturae 26° — 28° R. admiscetur. Balnea furfuracea accipiuntur, si libra una furfurum tritici per $^1/_4$ hor. s. q. aquae font. coquitur, et colatura librarum decem reliquo fluido balnei temperaturae 28° R. additur. Balnea animalia (si pars aegrotans visceribus animalis vix necati im-

mergitur, ut influxui benefico vaporis et caloris animalis exponatur) tantum localia uti: in debilitate artuum post luxationes etc. adhibentur.

Tempus adplicationis horum balneorum sit extensius ad horam et ultra, ut vasis lymphaticis cutaneis possibilitas absorbendi concedatur.

III. Balnea aromatica.

Principiis suis volatilibus systema cutaneum stimulant, adfluxus humorum versus derma adaugent, transpirationem cutaneam et vaporosam et aeriformem intendunt, spasmos vasorum capillarium solvunt, blando et amico stimulo periphericos nervorum fines adgrediuntur; caloris animalis evolutionem extollunt, ita ut partes externae magis rubescant; adcumulationes humorum internas discutiunt, et tali modo organa nobiliora interna, in sua functione cohibita a suppressione virium liberant. — Per systema lymphaticum particulae agentes resorbentur, et conflictum vivum in vasis lymphaticis efferunt, promotionem humorum accelerant, quia factorem positivum praevalentem reddunt; lympham in suis chemicis qualitatibus non multum mutant, sed ad systema sanguineum transvectae eo clariorem vim stimulantem extollentemque ostendunt; circulationem sanguinis alacriorem ponunt, uti pulsus frequentiores, pleni sed non duri demonstrant.

Licet particulas organicas in sanguine non multiplicent, tamen non praetervidendum symbolum ad earum perfectiorem evolutionem contribuunt, quia aequilibrium virium vitalium tollendo processus omnes dynamico-vitales intendunt. Systema irritabile et nervosum peculiari singu-

larique ratione invertunt; principio volatili positivum factorem languentem erigendo spasmos solvunt et erethismum componunt. Balnea diutius aut incaute adhibita consumtionem materiae organicae rapidiorem causant, et factoribus vitalibus exhaustis, debilitatem difficilius erigendam ponunt.

Conveniunt ergo constitutioni lymphaticae sine irritatione vasorum, et magna morbosa sensilitate systematis nervosi; languor in circulatione humorum, praevalens in contractionem nisus, sensilitas debilis et in eos illorum influxus beneficos agnoscunt. Mobilitas systematis sanguinei magnam expostulat circumspectionem, quia congestiones versus nobiliora organa usum illorum remediorum facile his sub circumstantiis insequentes irreparabiles ponunt mutationes.

Focus illorum est debilitas κατεξοχην vitae dynamicae et debilitas reproductiva illa, quae cum supradicta incedit, aut in ea suam invenit causam. Commendantur in omnibus spasticis adfectionibus cutis et organorum internorum, si febris aut proclivitas ad congestiones versus encephalon absunt. In debilitate vegetativa cum torpore vasorum et praevalente systemate lymphatico egregia praebent remedia; stagnantium humorum circulationem prospiciunt et evolutionem lymphae promovent. In scrofulis et in Rachitide, si cum nutrientibus junguntur, vitam inferiorem tollunt, assimilationem perfectiorem reddunt, et totius organismi evolutionem ad altiorem gradum perficiunt. Neque spernenda sunt in atrophiis praecipue nervosis, in Paralysibus, in debilitate universali, et in nisu ad resolutionem humorum ibique vigente. Multi et jure laudant

illorum vires in stagnationibus lymphaticis, et obstructionibus viscerum torpidis, quia languentem factorem positivum erigendo solventem vim exerunt, et materiam in evolutione retentam perfectiorem reddunt. In Tympanitide sed non in meteorismo intestinali usus illorum concedendus.

Ad obtinenda balnea sumuntur partes plantarum aromaticarum officinales; herbae Origani vulg., Hysopi, Melissae, Majoranae, Salviae, Absynthii, Marrubii, Saturejae, Rutae, Thymi vulgaris, Serpylli, specierum Menthae, flores Lavandulae, Sambuci, Chamomillae etc., et quidem ab uno remedio, vel partes plurium similium remediorum combinantur; paratur lege artis saepissime domi (pro balneo adulti ex libra una, pro infante ex unciis tribus remedii) infusum s. q. aquae communis, et colatura additur balneo; vel pro infusione sic dictae species aromaticae praescribuntur. Aeger per $^1/_4$ horae in balneo temp. 28^0 R. maneat; et balneum omni die semel applicandum. — Combinantur saepissime cum roborantibus, nutrientibus vel narcoticis.

IV. Balnea narcotica.

Remedia narcotica ope balnei adplicita cutis transpirationem intendunt, spasticas contractiones vasorum capillarium solvunt, erethismum systematis nervosi peripherici componunt, systemate lymphatico resorbta lympham tenacem fluidisant, qualitative mutant, et illius motum accelerant, sed lente has inducunt mutationes. Non solum in systemate lymphatico, sed simul in omnibus systematibus membranarum formantium vis illorum solvens observanda. In systemate sanguineo haematopoesin reprimunt,

evolutionem partium nobiliorum retardant, sed circulationem accelerant, et caloris evolutionem intendunt, facile congestiones versus organa nobiliora et accumulationes humorum in illis provocant, se- et excretiones invertunt, biliosam et cutaneam adaugent, salivalem autem et tubi alimentaris imminuunt. Diutius adhibita appetitum et digestionem prosternunt, peculiarem discrasiam humorum, et resolutionem materiae organicae causant. Systema irritabile deprimitur, ita ut languor motus muscularis insequatur, systema nervosum ab initio extollunt, functiones illius alacriores reddunt, dolores componunt; sed serius vitam nervosam debilitant, functiones mentales turbant, convulsiones, tremores, vesaniam, rabiem, temulentiam, sensuum obnubilationem, apoplexiam, coma et denique paralyses inducunt.

Hinc magna cum circumspectione sunt adhibenda. Conveniunt constitutioni lymphaticae cum languente humorum circulatione, torpore systematis irritabilis, et sensilitate morbosa. Inflammationes, febres sthenicae et depascentes, gastrismus, maxima debilitas nervosa usum illorum vetant.

Commendantur in morbis systematis lymphatici; scrofulae torpidae et rachitis si cum arthrocace aut spina ventosa incedunt, illis saepe sanantur; in glandulis meseraicis induratis, tumoribus frigidis imo in scyrrhositate uteri et aliorum organorum periti summis laudibus illorum usum extollunt, et licet non semper sanitas, tamen mitigatio cruciatuum tetrorum et procrastinatio exitus fatalis eorum applicatione obtinetur. — Impetigines sic dictae lymphaticae cum depressa cutis vitalitate et torpore systema-

tis lymphatici, ossium intumescentiae et caries, ulcera cacoetica usum illorum postulant. In morbis spasmodicis vitalitatem systematis nervosi a norma aberrantem iterum corrigunt, et egregia remedia in paralysibus praebent, quia periphericos nervorum fines stimulando renisum vitalem in organis internis noviter suscitant.

Ad balnea narcotica herba hyosciami nigri, et conii maculati adhibetur. Balneo universali temperaturae 28^0 R. unciae quatuor aquae laurocerasi admiscentur, et vis illius antispastica adaugetur, si eidem vel unciae quatuor decocti (ex unc. semis herbae parati) aut drachma una extracti hyosciami, cicutae, aconiti adduntur. Herbae cicutae et hyosciami junctae saepissime adhibentur et $\overline{aa}$ unciae duae — tres s. q. aquae comm. per $^1/_4$ horae coquuntur, colatura librarum sex balneo admiscetur. Notandum tamen, quod sub applicatione balnei narcotici caput a vaporibus defendatur, ideo linteum supra marginem alvei et circa collum aegrotantis expanditur, et lacinea aceto vini humectata naribus approximatur.

Balneum applicatur quotidie semel per $^1/_4$ horae.



Theses defendendae.

I.

Balnea praecipue in morbis cutaneis saepe applicationi internae remedii praeferenda.

II.

Qui scribunt medicinam popularem, plus damni adferunt, quam utilitatis.

III.

Psyche nec aegrotare potest, nec mori.

IV.

Non aetas facit medicum.

V.

Aqua frigida potentissimum sudoriferum.

VI.

Aquae sulfureae stimulando agunt.

VII.

Lac maternum neonato est incomparabile alimentum.

VIII.

Medicum pauca loqui, multa scire, plurima meditari oportet.

IX.

Confidentia aegri summum Therapiae adminiculum.

X.

Phantasia multorum morborum mater et medela.

XI.

Percussio et Auscultatio in praxi publica applicabilis et summae utilitatis.

XII.

Cutem solum tractans, male tractat morbos cutaneos.
